

ri tantum colligatur, non in Nilo flumine & lacubus quibusdam. Quidnam verò veteribus flos salis fuerit, decernere non audeo. Color quidem (inquit) rufæ rubiginis instar pictoribus expectitur è Germaniæ salinis aduectus, quod fortasse flos ipse salis fuerit. nam colore & sapore illi non obscure respondet: vulgò appellant Morello di sale. Verum cur hoc non planè affirmem, illud mihi obstare video, quòd coloris non sit liquidus, neque oleosus, sed aridus. quare potius inclinatus animus, ut ipsum credam esse salis rubiginem, cuius mentionem facit Plinius. Hæc Matthiolus. nos Plinij verba, quibus salis flos, veluti rubigo salis esse, ab eo dicitur, superius recitauimus: ex quibus rubiginem salis rem aliquam sui generis esse, affirmari non potest: sed hoc tantum, florè salis ipsum met veluti rubiginem quandam salis esse, ob coloris similitudinem.

His breuiter ego quid sentiam, sub-